

1.  
2.  
3.  
3.  
4.  
5.



1761.

- 1.<sup>a</sup> Assmann, Joannes Benjamin Fidevicus: De qualitate  
negativae ipsaque probatione.  
1<sup>o</sup> H. Kunze, Rudolphus Christophorus: De crimine silentii.
- 2<sup>a</sup> Schorch, Christian Frit. Friman: De eo quod posthuc  
est in reddendo mutuo in casu si monetae mutatio  
modo tempore facta est.
3. Schorch, Christian Frit. Friman: De cura bonorum  
absentis.
- 3<sup>a</sup> Stricker, Conrad Wilhelm, Facult. juridicæ Secunda t. b. v.  
(ad Disputationem inang. Joannis Benjamin Fidevicus  
Assmanni invitat.)
4. Stricker, Conrad Wilhelm, Facult. juridicæ Secunda t.  
t. b. v. (ad Disputationem inang. Theodori Augusti  
Zimmermanni invitat.)
5. Stricker, Conrad Wilhelm: De jure accrescenti in qua-  
litate relicto etiam obtinente.

1762.

1. Hecker, Conradus Wilhelmus, Facult. juris Decanus  
l. b. s. (et Disputationem in omni. Christiani Christophori  
Thilo invitat).

2. Hecker, Conradus Wilhelmus: De modo adquirendi per  
et occupationem bellicam de qua eo, quod circa eam  
justum est.

1763.

1. Henne, Rudolphus Christ: De deposito irregulari.

1764.

1. Henne, Rudolphus Christ, Decanus ordinis Tutorum  
solemnia inauguralia . . . solemnia inauguralia . . .  
h. Georgii Friderici Henrici Harburgii . . . in dicitur  
simulque de usu et abusu tomentis Bambergensis quod  
Iam proceptor.

2. Henne, Rudolphus Christoph: De eo, quod justum est circa  
portionem statutariam conjugii superstiti, ea defuncti  
bonis debita.

3. Henne, Andreß Christoph, Decanus ordinis Feteran :

... solennia inauguratio . . . Andreß Henrici  
Wilhelmi Ziegleri . . . indit simulque de oppri-  
gatione personarum ejusque convenientia cum  
appropinquatione rerum quaedam praefatur .

4. Henne, Andreß Christoph : De natura et involu-  
censum, praescrip. status temporibus solvendorum.

1765.

1. Henne, Andreß Christoph, Decanus Ordinis Feteran

... Solennia inauguratio d. Joannis Conrad Lueberi  
... indit simulque de testamentis mysticis sive  
arcanis quaedam praefatur .

2. Henne, Andreß Christoph : ~~Decanus ordinis Feteran~~  
~~quatenus in heredes transeunt vel non transeunt .~~  
~~... Solennia inauguratio d. Joannis Conrad Lueberi~~

~~... indit simulque de testamentis mysticis sive arcanis  
quaedam praefatur .~~

1765.

3. Heine, Rudolph. Christoph: Occasus or d. Leforum:  
Solemnia inauguralia . . . Dr. Adam Tynatii Juris  
... indicat simulque de transactione super controversi-  
diis ex testamento matris quaedam praefatur.

4. Rumpel, Hermannus Ernest: De legum rationibus,  
quae in ipsis legibus minus accurate exhibentur  
1766.

1. Rumpel, Hermannus Ernestus: De morum ad leges Romanas  
habitu ac relatione

2. Schorch, Hieronymus Frider, Facult. juridicae Decanus &  
lectori venerato s. p. d. (ad dissertationem in auz. Caroli  
Theophili Bahrthii invitat).

3. Schorch, Hieronymus Fridericus: De vitio mandati  
perperam plerumque reprehensis



1766.

4. Schorch, Hieronymus *Fredericus*: De proxenetis.

5.

1767.

1. Henne, Rudolph Christ, *Ordinarius jurisconsultorum*  
De canonicis solemnibus inauguralibus . . . in Dicit simul-  
que: De juramenti relatione in omni parte  
judicii licite quaedam praefatus.

2. Henne, Rudolph Christoph: De lesaerantibus publicis  
per repetitionem ab actibus vel serviciis principis  
rupto.







DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
CRIMINE SILENTII,

QVAM

IN PERANTIQVA ELECTORALI ACADEMIA  
ERFORDIENSI,  
INDVLGENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE,  
PRAESIDE  
FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO  
D. RVDOLPHO CHRISTOPHORO  
HENNE, JCTO,

ORDINIS ICTORVM ET IVDICII ELECTORALIS MOGVNTINI PROVIN-  
CIALIS ADSESSORE, AC PANDECTARVM PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO,

AD DIEM XI. MARTII M DCC LXI.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAIORIS ANSELMINI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
FRIDERICVS LVDOVICVS DOERING,  
ERFORDIENSIS,  
IVRIVM ET PHILOSOPHIAE CVLTOR AC COLLEGII AMPLONIANI  
COLLEGIATVS.



ERFORDIAE,  
AERE HERINGIANAE VIDVAE, ACADEMIAE A TYPIS.



PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,  
DOMINO  
JOANNI ARNOLDO  
LIBERO BARONI  
DE BELLMONT,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSI-  
LIARIO REGIMINIS ERFORDIENSIS, CIVITATIS PRAETORI,  
IVDICI ELECTORALIS PROVINCIALIS PRAESIDI, IVRIS PV-  
BLICI ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE PROFESSORI PVBLICO  
ORDINARIO, BIBLIOTHECAE VNIVERSITATIS BOINE-  
BYRGICAE DIRECTORI, DYNASTAE  
GESCHWENDAE &c. &c.

MAECENATI SVO GRATIOSO,  
ET  
PATRONO RELIGIOSO MENTIS CVLTV AD  
CINERES COLENDO,

EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM  
IN OBSEQUIOSISSIMVM VENERATIONIS ATQVE OBSERVANTIAE SVAE  
MONVMENTVM SVBMISSA ANIMI REVERENTIA

OFFERT, CONSECRAT, AC DEDICAT

DEVOTISSIMVS RESPONDENS.

PERILLISSIMA ATQUE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO

DOMINO

JOANNI ARNOLDO

LIBRO PRIMO

DE BELLMONT.

INSTITUTIONES PRINCIPALIS RECTORIS MAGISTRUM  
LUDWIG RUDOLPHUS RECTOR UNIVERSITATIS  
MAG. THEOPHILUS PRINCIPALIS RECTOR  
MAG. ET THEOPHILUS PRINCIPALIS RECTOR  
MAG. THEOPHILUS PRINCIPALIS RECTOR  
MAG. THEOPHILUS PRINCIPALIS RECTOR  
MAG. THEOPHILUS PRINCIPALIS RECTOR  
MAG. THEOPHILUS PRINCIPALIS RECTOR

MAECENATI SVO GRATIOSO

ET

PATRONO BELGICO MENTIS CALVA AD  
CENSURAS COLLECTAS

EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM

IN UNIVERSITATE AMSTELÆDAMI  
MAG. THEOPHILUS PRINCIPALIS RECTOR

OFFICII CONSULATU AB DICATA

DEPOSITUM RECTORIS





PER ILLUSTRIS  
ATQUE  
EXCELLENTISSIME DOMINE,  
PATRONE OMNI ET PIETATIS  
ET REVERENTIAE CVLTV  
AD CINERES VSQVE DEVENERANDE.



Causa, cur TIBI qualecunque hoc academicum  
exercitium, primum studiorum meorum  
specimen dedicare non erubescam, non e lon-  
ginquo sane arcessenda mihi venit. Prae-  
terquam enim, quae est TVA gratiosa erga studiosam iuuentutem  
voluntas, & tot documentis comprobata in litterarum amatores  
propensio, quae nunquam praetermittis, quae ad studia augenda &

(3)

alen-

alenda vsui esse possunt; praeterquam dico, quod eximia TUA humanitas omnium admirationem & clientum elogia in TE conuertit, & ad TE submissa animi veneratione suspiciendum invitat: Grata in primis recordatio, quod sub felici TVO Rectoratu cuius academici iura rite impetraui, & insuper iucunda commemoratio TVAE erga me benevolentiae maxime me reddiderunt obstrictum, & impulerunt, vt Nomini TVO Perillustri has studiorum meorum primitias sacratas quasi facerem, & in submissi gratique animi tesferam, vltioremque studiorum meorum commendationem summa, qua decet, reuerentia & pietate consecrare auderem.

Enimvero vereri debebam, ne temerarius sim, dum ea TIBI offero, quae nullatenus Nomini TVO Perillustri respondent. Ast spes me alit, TE pro ea, quam cuncti in TE admirantur humanitate atque benignitate singulari, quamque omnes vno ore praedicant laudibusque maximis euehant, (eam vero & ego submisso animi cultu veneror, & illius penes me gratam extare memoriam declarare huc vsque optaui,) etiam academicum hoc specimen beneuole suscepturum.

Noui equidem, tenuitatis meae nequaquam nescius, non nisi magna conuenire Nomini TVO: Sed idem quoque memini, commune esse maximis viris, ea, quae sibi offeruntur, non ex eius, quod offertur dignitate, sed offerentis sinceritate metiri.

Venerabundus adeo PATRONE MAXIME! praesentes has pagellas ante oculos TVOS pono, id humillime rogicans, ne, quas tanto TVO Nomini parum dignas iudico, beneuola tamen  
men-

mente excipere, meque ideo hoc fauoris specimine ad obsequiosissimum TVI cultum denuo adstringere dedigneris.

Ego autem, licet facultate inter cultores TVOS vltimus, nunquam tamen intermittam, ipso opere ostendere, praeter admirationem TVARVM virtutum, humillimamque dignitatum reuerentiam me nemini affectu & voluntate esse secundum.

Suscipe igitur TVA, id est, liberalissima humanitate hoc sincere erga TE pietatis & venerabundi animi documentum quaecumque. Adspice has studiorum meorum primitias sereno, benigno, mihi ac fauenti vultu, & patere, vt TIBI humillimum cultum declarare, & deuotissimi obsequii obsidem sistere animo contendam. Id vero praesentis Dissertationis dedicatione praestare sustineo: noli itaque dedignari benigna receptione TVA.

De cetero, si qualemcunque hunc conatum respicere benigne volueris, in posterum etiam, vt constantis gratiae fauorio reliquis conatibus meis adspires, a TE supplicibus efflagito precibus.

Vota vero indefessa pro TVA salute nuncupare mearum semper omnino erit partium. Summum igitur Numen supplex veneror, accalenti pectore precor, vt TE deplorandis hisce temporibus in Reipublicae & multorum hominum solatium porro firmet ac roboret. Sospitet, seruet TE Deus optimus maximus, delictum patriae, & praesidium omnium bonorum, quam diu-  
tiffi-

tissime, dirigat consilia TVA ad Reipublicae salutem, iisdemque  
successus exoptatissimos concedat. Velit TIBI summus omnium  
rerum moderator largiri vitam felicem, perennem, omnibusque  
molestis carentem: velit TE contra omnes casus tristes fortiter  
tueri, & actiones TVAS grauiissimas ita dirigere, vt felici nunquam  
non probentur exitu. Vale optime, VIR PERILLVSTRIS ac EX-  
CELLENTISSIME, atque ex sententia feliciter age, quin in po-  
sterum fauere perge.

## MAGNI TVI NOMINIS

Obsequiosissimo & devotissimo  
Cultori

FRIDERICO LVDOVICO DOERINGIO.



## Prooemium.



rimen silentii, quod amplitudine sua, per omnes Iurisprudentiae partes se extendit, omnino vberiore, quam in hac succincta commentatione suppeditare potuimus, tractationem, praesertim quod Ius Germanicum attinet, postulare videtur. Cum vero hoc argumentum inter ea, quae generalia vocantur, locum occupet, hinc periculum facturi sumus, vtrum primas huius doctrinae lineas ducendo, ansam vltiori disquisitioni suppeditare, aliaque occasione ea, quae hinc inde breuitatis studio ducti, binis solummodo verbis recensuimus, magis exasciata in vulgus edere, operae pretium sit. Quod reliquum est, ea, quae hac vice meditati sumus, sequens exhibet

A

Con-



Conspectus Dissertationis,  
in qua

- §. I. Silentium in bonam & malam partem accipi, docet.
- §. II. Illius definitionem tradit.
- §. III. Varia de silentio, notatu digna profert.
- §. IIII. De Silentiaris agit.
- §. V. Regulariter Ius Naturae silentium in criminum classem non  
reserue, probat.
- §. VI. Idem affirmat de Iure Canonico.
- §. VII. Pariter id statuit, quoad Ius civile.
- §. VIII. Exceptionem admittit quoad Ius Naturae.
- §. VIIII. Eandem suppeditat, quoad Ius Canonicum intuitu mo-  
nitoriorum.
- §. X. Parilem admittit exceptionem ratione criminis haereseor.
- §. XI. Aequalem subiecit, quod attinet Sigillum confessionis.
- §. XII. Ius civile continere exceptionem docet, si crimen con-  
tinuetur,
- §. XIII.



- §. XIII. Idem defendit, quoad crimina committenda.
- §. XIII. Silentium crimen esse, quod attinet haereditatem defunctum occulta violentia necatum, non indicantem, probat.
- §. XV. Quatenus silentium in teste crimen consistat? inuestigat.
- §. XVI. Contumaciam in processu civili & criminali commissam, huc refert.
- §. XVII. Idem docet de reo criminis, responsionem denegante.
- §. XVIII. Crimen perduellionis silentem poena ordinaria afficiendum, demonstrat.
- §. XVIII. Idem locum habere in crimine parricidii, animaduertit.
- §. XX. Pariter id affirmat de blasphemia.
- §. XXI. Idem extendit ad crimen falsae monetae.
- §. XXII. Iure Germanico silentium puniri in subdito, qui militem fugitiuum non indicat.
- §. XXIII. Ad varios in iure Germanico casus hoc applicat.
- §. XXIII. Tractationi colophonem imponit.

DISSERTATIONIS IVRIDICAE  
DE  
CRIMINE SILENTII.



§. I.

Inter voces in bonam & malam partem interpretandas, merito etiam silentium refertur, quod modo virtutem constituit, modo in criminum & delictorum censum venit. Si quis enim silentium praestat in rebus ex legum praescripto occultandis, omnino laudandus & officio satisfecisse dicendus est, si vero leges revelationem alicuius negotii praecipiant, & subditus & vassalus silentio tegat eiusmodi factum, sponte sua sequitur, illum delictum committere poena coercendum. Recte igitur rationes subduxit celeberrimus quondam LUDOVICI a) statuens, sermonem in se consideratum, in earum rerum referendum classem esse, quae nec bonae sunt nec malae, sed vulgo indifferentes audiunt, & abusui obnoxiae sunt.

a) in Dissertatione de impositione silentii in praefamine, qui & hoc argumentum in 4 capitibus ita pertractavit, ut instituto suo abunde satisfecerit.

§. II.

Silentium bono in sensu acceptum, describi solet, quod sit  
vir-



✿   ✿   ✿

virtus tacendi & non revelandi ea, quae fidei alicuius sunt commissa, aut quae salua conscientia, & sine detrimento alterius reuelare opus non est. Silentium autem delictorum in censum relatum est vitium, quo tacentur & occultantur ea, quae reuelari debent, & ex quorum taciturnitate alterius damnum est metuendum. Veteribus sibilus ST. nota erat imperantis silentium, S. enim statuente IVSTO CHRISTOPHORO IDEN a) iubet, vt sileas, T. iubet, vt taceas, imo ipsam literam S. vocis compressionem mandatam indicare, & nomen hoc SILENTIUM non absque mysterio in VM formatam esse, non pauci sibi persuadent, conf. IACOBVS FRIDERICVS LVDOVICI. b)

- a) in tractatione de iure silentii §. 2 qui & §. 3. 4. 5. 6. de moribus Perlarum, Romanorum, Atheniensium & veterum Germanorum, circa silentium, multo doctrinae apparatu egit.
- b) in praefamine dissertationis de impositione silentii.

### §. III.

Silentium manu indictum fuisse, docent nos ACTA APOSTOLORVM, a) & celeberrimus quondam WOLFIUS, b) imo Aegyptii in sacris ISIDIS & SERAPHIDIS HARPOCRATEM simulacrum, quod digito labiis impresso, silentium praestandum esse, admonebat, ceu Deum silentii adorarunt, tradente ALEXANDRO ab ALEXANDRO c). NVMA POMPILIUS autem Rex Romanorum Deam silentii ANGERONAM inter tutelares coluit, teste MACROBIO d) conf. etiam IO. FRIDEMANN SCHNEIDER e), nullam vero difficiliorem, quam silentii virtutem credidit QVINTILIANVS f), memoratu etiam dignum est, quod summum Numen nobis duas aures, & vnicam solum linguam concesserit, nullum alium in finem, quam vt plura audire, quam loqui debeamus.

- a) cap. 12, comm. 17. & cap. 13, comm. 16.
- b) in curis philologicis ad locum primo citatum.
- c) lib. 3, Genial. dier cap. 59.
- d) lib. 3, Saturnal cap. 9.

A 3

e) de

- e) de philosophia Silentii §. 6.  
f) declamat 19.

## §. III.

A filendo nomen acceperunt Silentarii, qui curam habebant, ne quis in principis palatio strepitus excitaretur, & ut silentium seruaretur, de quibus plena manu egit vir elegantiori iurisprudentiae natus BERNH. FRIDER. RVDOLPH. LAVHN. a) Horum silentiariorum autem plures erant, ordinarii triginta fuerunt, in tres decurias diuisi, quorum singulis decem, vnus decurio praefuit, vid. GUIDO PANCIROLLVS. b) Fuerunt enim decuriones cubiculariorum, decuriones silentiariorum, & decuriones Larum, prout demonstrauit IACOBVS GYTHERIVS c). Utrum vero ex sententia IACOBI GOTHOFREDI d) hausti fuerint, de eo dubitat illustris quondam SIMON PETRVS GASSERVS e). Ea autem fuit silentiariorum praerogatiua, vt a tutelis excusarentur, a praestatione tironum & equorum fuerint immunes, eorum liberi honestati comitiua primi ordinis, vel dignitate Tribunorum non agnouerint tamquam Senatorum filii, onera praeturae, domus quoque eorum ab omni hospitum inquietudine liberae fuerunt, insuper ab omnibus sordidis officiis liberi, ad comitatum principis ire poterant sine evocatoria, imo ANASTASIUS qui nondum ad senatorium ordinem adscenderat, sed modo scholae silentiariorum adscriptus fuit, in imperium euectus est, teste GY-  
THERIO f).

- a) qui hodie Potentissimo Poloniarum Regi & Electori Saxoniae a consiliis commissionum est, & Praefectum iustitiae in circulo Thuringiae laudabiliter agit, in Dissertatione optimae frugis: de silentariis & decurionibus illorum hic Erfurti 1743. pro gradu defensa.  
b) comment. in notit. dignitat. vtriusque imperii cap. 62.  
c) de officiis domus Augustae publicis & priuatis lib. 3. cap. 29.  
d) ad l. vlt. Codicis Theodosi, de Decurionibus & silentariis.

e) in

e) in praefationibus ad Codicem Iustinianeu[m], eiusque titulos, qui in Digestis non continentur lib. 12, tit. 16.

f) loco modo citato.

### §. V.

Praemissis hisce ad silentium in genere spectantibus, ad institutum nostrum propius indagandum nos conuertimus, enucleaturi primo, quid de silentio inspecie quatenus delictum siue crimen inuoluit, sit statuendum, vt deinde posito hoc fundamento circa singula delicta, in quibus silentium punitur, eo distinctius procedere possimus. Ante omnia autem quaestio hic indaganda venit, vtrum delicta occulta necessario sint reuelanda, ita, vt si quis illa silentio premat, poenam incurrat? Ad hanc quaestionem eo melius indagandam, praemitendum erit, omnium poenarum in delicta statutarum, duplicem esse finem, alium, vt laeso satisfiat ratione damni per delictum dati, alium autem, vt delinquens ad frugem redeat & emendetur. Quodsi igitur neuter horum finium per reuelationem delicti occulti obtineri queat, quod in plurimis delictis contingit, nulla apparet ratio, quare aliquis ad delictum manifestandum adigi possit, eoque occultato ad poenam trahendus sit, licet inficias ire nolumus, in conscientia aliquem peccare, qui ex legibus virtutis & caritatis norma reuelationem omittit, tradente HVGONE GROTIO a). Sed quis est quem fugiat, leges virtutis solum imperfecte obligare, ita, vt recte rationes subduxerit Illustris quondam IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS, b) statuens; ius naturae nullam regulariter cui imponere necessitatem reuelandi delicta occulta.

a) de iure belli & pacis lib. 2. cap. 17. §. 9.

b) in Diff. de obligatione ad reuelandum occulta cap. 1. §. 2.

### §. VI.

A placitis Iuris Naturae transimus ad Ius Canonicum aliquot saecula ante ius ciuile in Germania vicens, & pariter statuimus, nec huius iuris sancita regulariter praecipere, vt de-



delicta a ciue necessario & sub poena sint indicanda. In alia omnia quidem hic ire videtur STRYCKIUS a) ad duos textus Iuris Cœnonici prouocans b) & ex iis probare intendens, quæcunque crimina iure hoc esse manifestanda. Quod ad priorem horum textuum attinet, in eo disponitur, quod ille, qui cum fure partitur, occidat animam suam, & quod non solum fur, sed ille etiam furti reus sit, qui furti conscius, quaerente possessore furem non indicat. Quis vero non statim animaduertit, capitulum hoc esse restringendum ad illos, qui furti sunt complices, dolique participes? recte hoc annotante GONZALEZ TELLETZ c). Capitulum enim hoc peculiari vtitur decidendi ratione, probe attendenda, in eo consistente, quod ille non solum pro laedente habendus sit, qui ipse laesit, sed & qui culpa sua facit, vt laesio alias reparanda, non reparetur, ex quo pronò fluit aluco, generalem exinde regulam, absolutam reuelandi necessitatem imponentem, deduci non posse. Idem dicendum est de altero textu a STRYCKIO d) excitato, pariter exceptionem a regula continente, & iubente, vt reuelentur excessus episcoporum.

a) in Diss. de salute publica cap. 5. num. 33.

b) scilicet c. 4. X. de furtis & c. 47. c. 2. quaest. 7.

c) in commentario ad cit. c. 4. num. 2. seqq.

d) in Diss. modo laudata.

### §. VII.

Ius ciuile cum iure canonico mirum in modum quoad hoc argumentum conspirat, & neminem in regula ad delictorum, quorum notitiam consecutus est, manifestationem adiigit, sed potius expresse statuit, neminem inuitum accusare, vel agere teneri a) ut vt autem lex citata solius accusationis mentionem faciat, ac denunciationis iudicialis non habeat rationem, hoc tamen potius firmat, quam destruit sententiam nostram, cum denunciationis simplicis nec vola nec vestigium in iure Romano deprehendatur, & accusatio Romanis  
sueti



fueta necessario incluserit denunciationem, & hac appellatio-  
ne & sensu venerit, accusatio autem expressis verbis remissa  
sit, & denunciatio magis respiciat processum inquisitorium  
Romanis incognitum & natales suos Iuri Canonico adscriben-  
tem, conf. THOMASIVS b) cum e contrario iure Romano sine  
accusatione delictum reuelari non potuerit, conf. si lubet,  
BOEHMERVM c) ZOESIVM d) THEODORICVM e) & CARPZOVI-  
VM f).

- a) l. vn. C. vt nemo inuitus agere vel accusare teneatur,
- b) in Diss. de origine processus inquisitorij.
- c) in iure eccles. Prot. lib. 5. Tit. 1. §. 81. seq.
- d) ad Tit. ff. de accusat. num. 17.
- e) in collegio crim. diss. 3. thes. 15. lit. c.
- f) in praxi crim. parte 3. p. 104 no. 250. seq.

### §. VIII.

Huc vsque regulam in medium protulimus iure naturali  
canonico & ciuili fundatam, nunc & exceptiones erunt sub-  
nectendae, & eiusmodi casus proferendi, vbi silentium leges  
non admittunt, sed potius perfecte obligant scientem, ad ma-  
nifestandum. Agmen iterum ducat Ius Naturae hanc excep-  
tionem suppeditans: delicta tunc sunt indicanda, quando ex  
silentio illorum, respublica grauissimum incurrit damnum,  
per manifestationem auertendum, ex quo sponte sua sequitur  
hanc exceptionem potissimum spectare ad crimina adhuc  
committenda, ratio enim quae homines impulit, vt relicto statu  
naturali, ciuilem elegerint, in securitate publica praecipue  
est quaerenda, in statu naturali susque deque habita, haec  
autem securitas publica commune iunxit inter socios vincu-  
lum illos obligans ad suppetias in malo auertendo ferendas,  
ita, vt cognatio naturalis intercedat inter homines a) com-  
mune vinculum ad mala euertenda nectens, adeo, vt nec data  
delictum commissuro silentii fides obligationis producendae  
capax sit, cum ille, qui, impedire & obicem ponere potest de-  
licto,

B

licto,



licto, & tamen non impediuit, pro causa morali delicti habendus sit, prouti recte docuerunt LAYMANNVS b) & LESSIVS c).

a) l. 3. ff. de iustitia & iure.

b) in theologia morali lib. 3. tom. 3. parte 2. cap. 5. num. 2.

c) de iustitia & iure, tract. 4. dec. 5. num. 6.

### §. VIII.

Ius Canonicum pariter admittit exceptiones, in quibus silentium pro crimine habetur, pertinet huc 1) casus monitoriorum, sunt autem monitoria mandata a iudice ordinario ecclesiastico data, quibus imperatur, vt is, qui vel delinquentis ipsius, vel rei surreptae notitiam habet, illud intra certum spatium sub poena excommunicationis manifestet, vid. LAZARIVS a) RAYNAVDVS b) CEVEILLON c) & GIBALLINVS d) conceduntur eiusmodi monitoria solum in causis arduis & maioribus, de quibus, ex professo egit BOEHMERVS e) nec dantur nisi in subsidium, ita vt episcopus illa petenti, iniungere possit, vt iurata fidem det, sibi nullum aliud remedium quo sine suo potiri possit, superesse, exceptiones in quibus non obligant monitoria longa serie recenset modo laudatus BOEHMERVS f) qui & optime animaduertit eiusmodi monitoria non dari, nisi ob causam spiritualem.

a) in pec. tractatu de monitoriis.

b) in libello singulari de hoc argumento.

c) in tract. gall. des monitoires & excommunications Chap. 19. Art. 1. & 2.

d) in tractatu, de sacra iurisdictione in ferendis censuris.

e) in diss. de causis arduis & maioribus cap. 1. §. 19. seq.

f) in Diss. de obligat. ad reuelandum occulta. cap. 3. §. 9.

### §. X.

Vtlerius ex mente & doctrina Iuris Canonici 2) huc pertinent



tinent haereseos occultae suspecti, dantur autem huius suspicionis certi gradus, ita vt pro horum differentia etiam arctior obligatio illam indicandi intercedat. Illustris BOEHMERVS a) tres gradus huius suspicionis in medium profert, alii enim iis tantum se commacularunt suspicionibus, quae vt plurimum fallere solent, & hi vocantur leuiter suspecti, alii talibus laborant suspicionibus, ex quibus ordinarie colligi solet crimen haereseos, nonnulli vero vrgentissimis premuntur iudiciis huius delicti, illi vocantur vehementer, hi vero vehementissime suspecti, inter quam distinctionem hic intercedit vsus practicus, vt leuiter suspecti non praecise, & necessario sint manifestandi, quia in eiusmodi crimine non in lubrico vagandum est fundamento, ac alterius existimationi macula inurenda docente DANDINO b) illi e contrario qui vehementer dicuntur suspecti, praecise sunt indicandi, ita, vt ille, qui tacet eiusmodi suspectum, ipse suspicionem haereseos incurrat, tradente ALPHONSO de CASTRO c) nulla ne quidem personarum coniunctissimarum, habita ratione, animaduertente a ROYAS d) episcopis vero & primatibus poena depositionis iniuncta sit, vt suspectos haereticae prauitatis denuncient, e) vehementissime autem suspecti, habentur loco illorum, qui praesumptionem iuris & de iure contra se habent, nulla in contrarium admissa probatione, f) vt vero haec omnia rite executioni mandari queant, adornante summo Pontifice INNOCENTIO III. in singulis prouinciis certi constituti sunt inquisitores, extirpandae haereticae pesti operam dantes. Quae omnia vero in Germania nostra quod attinet religiones toleratas sibi locum non vindicant, cum disponentibus legibus Imperii, illi, qui eiusmodi religioni addicti sunt, non pro haeticis quoad effectus ciuiles habendi, sed pari iure cum conciuibus indicandi sint, nullibique, ob eam, quam profitentur religionem, despiciatui haberi debeant. Quod vero praxin protestantium attinet, illi plane haeresin pro crimine, quia in se spectata, solummodo circa intellectum



versatur, non habent, latius hoc deducente THOMASIO. g)

- a) in Diff. de crimine suspecti cap. 2 §. 13. seq.
- b) de suspectis de haeresi praelim. VI. num. 5.
- c) de iusta haeret. punit. lib. 2. cap. 25.
- d) de singularibus in fauorem fidei sing. 42.
- e) in c. 13. X. de haereticis.
- f) c. 7. de haeresi in 6to.
- g) in Diff. an haeresis sit crimen.

§. XI.

Addimus 3) exceptionem, quam suppeditat sigillum confessionis. Nos equidem non latet, non solum ex principiis iuris naturalis, sed praecipue etiam iuris Canonici confessionarios ad silentium sancte seruandum obligari, quod confirmauit summus pontifex a) his verbis: caueat autem omnino confessionarius, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodatur peccatorem, imo hoc silentium adeo est extensum, ut confessionarius nec tunc ad reuelationem obligetur, si crimen continetur, b) attamen dantur etiam his non obstantibus in foris praecipue protestantium casus excepti, ut ut enim obligatio & sanctitas huius sigilli ex iure naturali deducta, etiam in his foris indubia sit, docente STRYCKIO c) haec tamen non sunt extendenda ad delicta futura, ita ut minister ecclesiae omnino teneatur ad impedienda, delicta, quae sunt, in fieri, uti loqui solent, si nullum aliud praesto sit remedium, quo delinquens a proposito deterreri possit, omnesque adhortationes in cassum fiant, prout rationes subdixit BOEHMERVS d) cum alias confessionarius causa moralis delicti fiat, quod tunc eo magis obtinet, si omnia reuelatione vita aut fortuna innocentis periclitaretur conf. BEYER. e) Quare etiam nonnulli Canonistae teste VINCENTIO CAROCC f) permittunt & iubent, ut sacerdos notitiam acquirens delicti

pa-



patranda, eos, quibus periculum imminet, moneat, ut sibi caueant, & debitam adhibeant circumspectionem, non tamen nominet aut propalet personam, sed omnia haec indicet impersonaliter conceptis verbis, ut exinde nulla in personam confitentem cadat suspicio, quibus sub conditionibus sanctitas sigilli confessionis facta tecta seruetur, & innocens certior reditur, ut sibi de damno futuro cauere possit, & periculo obuiam ire. De reliquo vero nulla quoad sanctitatem huius sigilli intercedit differentia, utrum reuelatio sacerdoti in vel extra confessionem facta fuerit, cum identitas rationis etiam extra confessionem militet, & ex iure naturali originem trahat, probe animaduertente RAYNAUDO. g)

- a) in c. 12. X. de poenitent.
- b) in c. 6. X. de affinitate & consanguin.
- c) in Diss. de reuelat. credent. cap. 2. num. 5. 6, seq.
- d) in iure eclef. prot. lib. 2. tit. 21. §. 9.
- e) de sigillo confessionis cap. 4. §. 22.
- f) de reuelat. conf. p. 9.
- g) in tractat. de monitoriis part. I. cap. 3. p. 4.

## §. XII.

Misso Iure Canonico nos conuertimus ad Ius ciuile Romanorum a pluribus Europae gentibus pro oraculo habitum, ubi in genere notandum, quod crimina commissa iamdum attinet, ius ciuile cum Iure Naturae quoad interesse priuatum in eo conuenire, quod obligatio perfecta eiusmodi indicatorum delictorum & hic cesset a) & hinc silentium pro crimine non esse habendum, si damnum patrimonio alicuius delictum occultum illatum fuerit, haec regula vero tunc admodum notabilem admittit exceptionem, si non solum silentium, sed etiam receptatio vel occultatio concurret b) recipiens enim & occultans de ipso participat delicto, atque delicto perpetrando auxiliatrices porrigit manus, Deinde etiam



alia exceptio albo notanda lapillo in iure civili deprehenditur, quod nimirum tunc crimina iamdum perpetrata indicanda sunt, quando salus publica postulat, ob metum, quem de delincente concipimus, fore, ut delicta continuet & repetat c) quia enim dantur homines, qui delinquendi consuetudinem contraxerunt, & qui delictorum admissionem pro altera natura habent, atque adhortationes & admonitiones, quibus alii ad meliorem frugem perducuntur, vili floccique pendunt, sponte sua sequitur, arctiora, quibus coercentur, adhibenda esse remedia, illorumque crimina illis indicanda, qui ad accusandum publice sunt constituti, ut ense refecerent eiusmodi immedicabilia vulnera, malisque hominibus purgentur proiunciac. d)

a) l. 48. §. 1. ff. de furt.

b) l. 6, c. de furt.

c) Nou. 118. cap. I.

d) l. 3. ff. de officio praefidis.

§. XIII.

A criminibus commissis pergimus ad committenda, vi-  
furi, quid ius Romanum his de delictis literarum monumentis  
consignauerit? & omnino affirmamus haec crimina magistra-  
tui esse obligatione perfecta manifestanda, magis siquidem  
conducit incolumitati reipublicae per auersionem mali immi-  
nentis prospicere, quam vulnerata causa remedium quaerere,  
recte proinde rationes subduxit ius civile a) cognitionem  
naturalem inter homines intercedere, qua vnus alteri suppe-  
tias ferre, malaque imminetia auertere tenetur, quae doctri-  
na tam altas in hoc iure egit radices, ut ne quidem pactum,  
quo silentium est promissum, vilius sit effectus b) cum turpem  
contineat causam c) a iure reprobata, & ad delinquendum  
inuitantem, pro uti optime docet STRYKIVS d) quare &  
conscii tamquam socii criminis puniendi e) si crimini pa-  
tran-



trando consensum dederunt f) hac tamen admiffa differentia, quod mitiorem subire debeant poenam si instans crimen detestati quidem sunt, sed omiffa manifestatione illius admiffioni obicem non posuerunt. g)

a) l. 3. ff. de Iustitia & Iure.

b) l. 27. §. 3. ff. de pactis.

c) i. modo citato §. 4.

d) in Diff. de reuelat. cred. cap. 5. num. 2. seq.

e) l. 1. §. 24. ff. ad SCtum Silan.

f) l. 6. ad legem Pompeiam de parricidis.

g) l. 2. ff. eod.

§. XIII.

Indagata nunc obligatione generali criminum indicandorum, causae speciales in censum hunc venientes sub incudem erunt reuocandae, quarum agmen ducat dispositio SCti Silianiani, qua haeres defuncti indiscriminatim tenetur ad mortem per occultam violentiam defuncto illatam vindicandam, ita, vt omiffa accusatione ipsa haereditas vt indigno auferatur a) & maritus vxoris mortem non vindicans, tam quam in gratus dotem perdat, b) qua de re doctissimas commentationes in dias luminis auras prodire passi sunt HERTIVS c) & de LYNCKER. d) Quod vsus forensis huius SCti concernit, in partes eunt ICTi, aliis affirmatiuam, aliis negatiuam sententiam defendentibus, pro affirmatiua tamquam pro aris & focis pugnant HEIGIVS e) & de LYNCKER f) in alia omnia vero eunt HERTIVS g) CARPZOVIVS h) & ANTONIVS MATHAEI i) quorum argumenta, vt impraesentiarum examini subiiciamus, instituti nostri ratio non patitur, arridet tamen nobis media, via, qua incedunt BOEHMERVS n) & BERGERVS l) par nobile ICTorum, distinguentes, vtrum caedes defuncti sit notoria an occulta, ita, vt primo casu haeredem nulla accusandi strin-



stringat obligatio, qua tamen altero casu omnino tenetur, cum priori ex hodierni processus inquisitorii regulis iudex ex officio in delictorum notiorum circumstantias inquirere debeat, posteriori vero per denunciationem haeres officio suo functus sit. Eadem difficultas premit interpretes, circa quaestionem, an poena hoc SCto sancita, hodiernis obtineat moribus? ubi negatiuam defendit STRYCKIUS m) ex ea ratione, quia receptio doceri non possit, magis vero nobis arridet sententia SCHILTERI n) & BOEHMERI o) statuentium, nullam posse moueri de receptione poenae quaestionem, si ipsius SCti receptio extra omnem dubitationis aleam posita sit

a) l. 15. & 27. ff. de SCto Siliano.

b) l. 27. ff. de iure fisci,

c) in Diss. de haerede occisi vindice Sect. 1. §. 4. seq.

d) in Diss. de bonis ereptitiis §. 21.

e) parte 2. quaest. 34.

f) cit. loc. §. 22.

g) cit. loc. sect. 3. §. 6.

h) in praxi crim. quaest. 34. num. 74

i) de criminibus ad tit. de sicariis cap. 7. §. 10.

k) in Diss. de expens. crim.

l) in oeconomia iuris libi 2. tit. 4. §. 56. nota II.

m) in vsu moderno ff. ad SCtum Silan. §. 2.

n) in Exercit. ad ff. 38. §. 180.

o) in introductione in ius Digestorum ad SCtum Silan.

## §. XV.

Praecipue vero ex Iuris ciuilibus placitis silentium in teste crimen constituit, hoc enim iure expeditum est, neminem testimonii dicendi necessitatem declinare posse, nisi intuitu qua-



quarundam personarum vel causarum immunitatem docere  
possit, poena vero certa hoc iure non apprehenditur sancita,  
sed potius arbitrio iudicis relictum, qua conditione testes ad  
veritatem dicendam, circumstantiarum ratione habita, adige-  
re velit, hoc tamen albo notandum lapillo, hanc testium con-  
tumaciam pro re nata ipsis tormentis locum facere posse, vt  
mediantibus hisce cruciatibus contumaces in ordinem redi-  
gantur, & ad veritatem ulterius non occultandam cogantur,  
2) vti vero prudentia & moderamine in applicando hoc re-  
medio in genere opus est, ita in specie, quod torturam testium  
concernit, singulares, quae tormentis locum faciunt circum-  
stantiae, probe sunt sub incudem reuocandae, & iusta iudicii  
lance ponderandae, potiora requisita ab Illustri BOEHMERO b)  
tradita, huc redeunt, vt 1) huic carnificinae non sit locus, ni-  
si causa ardua & criminalis illius applicationem praecipiat,  
2) vt nulli alii testes vel documenta in medium proferri, &  
adhibitis illis veritas commissi criminis in lucem protrahi  
possit, idque suadente aequitate naturali, cum tortura solum-  
modo sit remedium subsidiarium & extraordinarium, omni-  
bus aliis deficientibus adhibendum 3) requiritur, vt testes  
producti vel praefraete & ex summa contumacia veritatem  
occultent, vel sint varii & vacillantes, 4) vt sint vilioris exi-  
stimationis, hoc requisitum tamen recte notante modo lau-  
dato BOEHMERO, c) non indistincte sibi locum vindicat, sed  
tunc solum iure Romano datur, quando testis eiusmodi vi-  
tae genus profitebatur, quod despicatui habebatur, v. g. si  
arenarium agebat, d) vtpote qui indistincte nisi adhibita &  
perpeffa tortura, fidem non merebatur, vt vt etiam contuma-  
cis hominis notam non sibi inuulerit, quae tamen exorbitans  
procedendi ratio hodie animaduertente CARPZOUIO e) merito  
cessat, in casu vero contumaciae nulla habetur ratio personae,  
sed caeteris paribus vnice ad contumaciam eiusque supre-  
mum gradum respicitur. Quod argumentum ex instituto &  
late deduxit beatus ERNESTVS IMMANVEL TENZEL f). In causis  
civilibus vero testis testimonio ferendo se subducens, ex ho-  
di-



dierna fori obseruantia, variis modis ad veritatem dicendam, compellitur, ordinarie huic in censum referuntur mandata poenalia, & si haec vili floccique habita fuerint ipsius poenae executio, pignorum captio, & squalor carceris, docente RIVINO g) cum vero dentur personae, quae inuitae ad testimonium dicendum compelli nequeant, quas longa serie recenset MARTINUS, ita sponte sua sequitur, nec remediorum horum coactorum applicationem ad eiusmodi priuilegiatas pertinere personas, sed potius legum illas eximentium, vbique esse habendam rationem, nisi ex natura negotii nulli alii quam priuilegiati interesse potuerint testes, quo in casu obseruante BRUNNEMANNO i) cessat omnino priuilegium.

a) l. 7. ff. de quaest. l. 21. §. 2. ff. de testibus.

b) in iure eccles. prot. lib. 2. Tit. 27, §. 53.

c) loco modo citato.

d) l. 21. §. 1. ff. & l. 13. C. de testibus.

e) in praxi crim. quaest. 119. num. 50.

f) in Diss. de tortura testium, vbi simul larvam iniustitiae huic carnisficinae a Doctoribus tributam, detrahit.

g) in Enunc. fori Tit. 22. Enunc. I.

b) ad proc. Saxonicum Tit. 22.

d) ad l. 29. C. de testibus num. 3.

### §. XVI.

Ad crimen siue delictum silentii referimus etiam contumaciam in processu ciuili & criminali commissam. Consistit autem contumacia in genere in eo, quando quis iudici non obtemperauerit, non agendo aut praestando id, quod litigans facere iussus erat. a) Plane quod ad contumaciam in causis ciuilibus attinet, eam tam actor quam reus committere possunt, actore contumace reus ab instantia absoluitur, & actor

in



in expensas condemnatur, quod vti quotidiana fori experientia docet, ita & vltiorem non indagationem meretur. Quod autem concernit contumaciam rei ante litem contestationem, aliter procedi solet de iure communi Imperii, aliter in Saxonia communi, & pariter alia ratione in Saxonia Electorali. Secundum Ius commune Imperii reus litem euentualiter contestari tenetur, b) quodsi prae fracte recusauerit, petente actore lis pro negatiue contestata haberi solet, & actor intentionis suae probationem suscipit. Idem obtinet in Saxonia communi, hac tamen manente differentia, quod reus litem euentualiter non contestans non habeatur pro negante, sed praeuia accusatione contumaciae & refusis expensis litem in alio termino sub poena confessi & conuicti contestari teneatur, conf. BARTHIVS. c) Quodsi in altero termino iterato contumax fuerit, pro confessio & conuictio habetur, & secundum petita in libello contenta condemnatio sequitur. Sola vero citatio sub poena confessi & conuicti ad hanc poenam infligendam non sufficit, sed requiritur, praecedens Decretum vel sententia sub hoc praecudicio comminatoria, quia enim haec poena magnum sapit rigorem, late deducendo L. B. ab ENDE d) ac maximum infert praecudicium maxima quoque prouidentia opus est, ne reus causa amissa antequam omnes contumacis hominis numeros absoluerit, de iniuria sibi illata conqueri possit, probe notante BERGERO e) Denique quod spectat ad Ius Saxonicum Electorale, citatus plane non comparens, vsque ad legitima impedimenta condemnatur, f) & non statim iure suo cadit, sed potius ipsi conceditur spatium, vt mediante illo probet, se legitime fuisse impeditum. Quare quando in termino proximo petente actore praefixo, legitima in medium proferre possit impedimenta, omnino audiendus & pro contumace non habendus est, deficiente autem allegatione eiusmodi impedimentorum, vel plane non comparente reo, praeuia accusatione contumaciae actoris, causae amissione punitur, & iure suo cadit.



- a) l. 33. ff. de re iudicata, v. boup. unis. abno. ulis. que. ni  
 b) Recess. Imp. de anno 1654, §. 36.  
 c) in Diss. de comminatione sub poena confessi & convicti.  
 d) in commentatione de fatalium rigore.  
 e) in Electis Discept. for. Tit. 10. obs. I.  
 f) ord. proe. Saxon. Elect. Tit. 10. §. 4.

## §. XVII.

Quoniam vero in criminalibus causis reorum responsio  
 fitis contestationis vicem sustinens, requiritur, vbi quidem  
 in delictis leuioribus capitis poenam aut corporis afflictiuam  
 non inferentibus, eodem modo cum contumacibus procedi-  
 tur, vti in causis ciuilibus teste GAILIO. a) In alia omnia vero  
 eundem est indelictis grauioribus sanguinis vel corporis  
 afflictiuam poenam irrogantibus, in his enim ob summum,  
 quod exinde resultat damnum confessio ficta, qualis est in  
 contumace, sibi locum non vindicare potest, si igitur inquisi-  
 tus in eiusmodi delictis vel plane non vel per verba dubia &  
 obscura respondeat, aliud remedium contumaciam coercendi  
 suppeditant leges, scilicet torturam, eo ipso enim, quo reus  
 plane non vel categorice respondere detrectat, satis se su-  
 spectum reddit, ita, vt exinde indicium ad torturam resul-  
 tet, monente CARPZOVIO b) & BRUNNEMANNO, c) iuxta cuius  
 doctrinam sequentia in hac tortura obseruanda, 1) vt tortu-  
 rae subiiciendus non interrogetur, vtrum fateri, sed potius,  
 vtrum respondere velit, hoc enim casu tormenta non adhi-  
 bentur, vt medium cruendi veritatem, sed potius coercendi  
 contumacem, vt respondeat, quare & 2) in adhibendis tor-  
 mentis moderatio omne punctum fert, ita, vt ultra primum  
 gradum vix ac ne vix quidem procedi possit, tradente LY-  
 DOVICI, d) ex quo etiam sequi videtur, 3) ratificationem alias  
 post biduum vel triduum requisitam hic praecise non esse ad-  
 hiben-



hibendam, cum ratio torturae hic vnice spectet ad responsionem eliciendam, qua elicit cessat ratificationis ratio, denique 4) eo solummodo casu ob contumaciam in respondendo admissam haec tortura locum habet, si intuitu circumstantiarum substantialium delictum concernentium contumacia se conspiciendam praebet. Cum vero conclamatum sit, delicta etiam per documenta probari posse, quod multo eruditionis apparatu probauit ICTUS olim Erfurtensis & postea Goettingensis celeberrimus TOBIAS IACOB REINHARTH, e) hinc nulla apparet ratio, quare inquisitus etiam in non recognoscendis literis a se scriptis contumaciam committere possit, ipsique in delictis leuioribus recognitio sub poena recognitarum literarum iniungenda sit, imo & comparatio literarum teste HARPRECHTIO f) non negligenda, & aliis accedentibus indiciis pro probatione maioris ponderis haberi queat, non tamen vt pro plene conuicto habendus, & ad vitimum supplicium rapiendus sit.

- a) de pace publica lib. 1. cap. 15. num. 30.
- b) in praxi crim. parte 3. quaest. 113. n. 56.
- c) de proc. inquisit. cap. 3. membr. 1. n. 79. seq.
- d) in der Einleitung zum peinlichen Proceß cap. 5. §. 13.
- e) in Diss. de eo, quod iustum est circa probat. delicti per documenta hic Erfurti 1732 habita.
- f) consil. 37. num. 30. seq.

### § XVIII.

Nunc ad ipsa delicta publica, in quibus silentium non solum crimen est, sed etiam ordinaria in eiusmodi crimen statuta poena, punitur, nos convertimus. Inter haec crimina omnium atrocissima primas tenet crimen perduellionis, quo quis ipsi principi vel Reipublicae hostilia tamquam subditus minatur, quodli



quodsi enim atrocitas criminis metienda est ex salute publica, supremam legem reipublicae constituente, certe nullum enormius crimen cogitari dicique potest, crimine perduellionis, vt pote quod immediate & proxime tendit ad interneccionem reipublicae, cum alia delicta mediate solum salutem publicam destruant, simulque subditorum salutem per indirectum pessundent, perduellis directo naufragium infert reipublicae & subditis, probe animaduertente CARPZOVIO a) Rebus igitur sic stantibus prudentissimi omnium gentium legislatores, huic delicto grauissimis poenis obuiam eundum esse, prudenter statuerunt, eumque in finem multa singularia in hoc crimine introduxerunt, quae longa serie recenset, illustris quondam vir NICOLAUS HIERONYMVS GVNDLING, b) in peculiari commentatione admodum docte literarum monumentis consignata, qui nobis hac in re otium fecit, vt singularium horum recensione hic facile superfedere possimus, ipsiusque etiam poenae ne quidem mentionem facere debeamus, cum partim illius indagatio ad institutum nostrum non pertineat, partim vero ab omnibus iuris criminalis scriptoribus illius indoles tam exacte tradita sit, vt Iliada post HOMERVM cantare videamur, si illis doctrinis immorari velimus, hoc vero propius instituti nostri rationes attingit, quod propter enormitatem huius criminis silentium & nuda scientia eadem poena afficiatur, quam ipse perduellis subire debet, c) certe enim hic ex sola scientia conscius tamquam confocius eiusmodi homo voluisse censetur, qui talia molimina silentio opprimit, licet ipse praeterea nihil ad eiusdem executionem contulerit, quia peccare qui non prohibet, cum possit, iubeat, & teste LANCTANTIO, d) qui succurrere perituro potest, & non succurrit, occidit. Quare & fides silentii alteri data nullam producit obligationem, cum obligatio reipublicae fortior tollat vinculum promissae fidei priuato debitae, quibus ex rationibus etiam fides vasallitica non obstat, quo minus vasallus se

libe-

liberare possit a manifestatione, si dominus directus hoc crimine se commaculauerit, quia vinculum quo subditus tenetur principi & reipublicae fortius est illo, quo vasallus addictus, est domino directo, siquidem illud producit obligationem vniuersalem, hoc vero solummodo nexum particularem, insuper lex Iulia maiestatis tamquam lex generalis nullas admittit limitationes, docente ГОТНОФРЕДО. e) Inficias tamen ire non possumus, quod illum, qui crimen indicat, non minima premat difficultas, in eo latens, quod probandum sit crimen imputatum, & quod probatione deficiente, tam accusans, quam accusatus, tormenta subire debeant f) recte tamen rationes subduxit ЛУДОВИЦИ g), horum cruciatuum perpeffionem restringens ad accusationem solennem Romanis vsitatam, quae vti apud nos nunquam fere obtinuit, ita extra omnem dubitationis aleam positum est, illam non pertinere ad nudam delationem moribus nostris introductam, sed potius sequitur, subditum officii partes satis expleuisse, si hoc pacto fidem liberauerit.

a) in praxi crim. parte I, quaest. 41. num. 1.

b) ad legem Iuliam Maiestatis, & de silentio in hoc crimine,

c) l. 5. §. 6. ff. ad legem Iuliam Maiestatis,

d) lib. 6. Inst. cap. 11.

e) in notis ad 2. F. 33. lit. C.

f) l. 3. C. ad legem Iuliam Maiestatis.

g) in doctrina ff. ad legem Iuliam Maiestatis §. 59

S. XVIII.

Crimen perduellionis excipiat crimen parricidii, quod pariter inter immanissima crimina refertur, post principem enim & rempublicam nemo est, cui maiori vinculo teneamur praeter parentes, vtpote quod vinculum ipsa natura constituit, proin-

proinde nihil immanius fingi potest, quam si quis spretis & sepositis his naturalibus officiis ipsam humanitatem exuat, illicque vitam eripiat, cui natales debet, hinc execrando huic crimini singularis & exorbitans poena statuta est, a) de qua CICERO b) more suo admodum prudenter iudicat: "quod  
 ,, noluerint legislatores corpus parricidae feris obicere, ne  
 ,, bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent, immaniori-  
 ,, bus uteremur, non sic nudos in flumen deicere, ne, cum  
 ,, delatissent in mare, illud polluerent, quo caetera, quae vio-  
 ,, lata sunt, expiari putantur, denique nihil tam vile, neque  
 ,, tam vulgare est, cuius partem ullam reliquerint. Etenim  
 ,, quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis,  
 ,, mare fluctuantibus, litus eiectis? ita vivunt, dum possunt,  
 ,, ut ducere animam de coelo nequeant, ita moriuntur, ut eo-  
 ,, rum ossa terram non tegant, ita iactantur fluctibus, ut num-  
 ,, quam abluantur, ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa qui-  
 ,, dem mortui conquiescant. ,, Poena haec legibus civili-  
 bus statuta non solum ab ipsis parricidis, sed etiam scientibus  
 & delictum non reuelantibus est subeunda c), idque ex eadem  
 ratione, quam supra intuitu criminis perduellionis in medium  
 protulimus, quae facit, ut & hic varia singularia in aliis de-  
 lictis non aequae obtinentia, sint introducta.

a) in l. 9. ff. ad legem pompeiam de parricidis.

b) in Oracione pro Roscio Amerino cap. 25.

c) l. 6. & 7. ff. ad legem pompeiam de parricidis.

#### §. XX.

Crimen parricidii sequatur Blasphemiae crimen, quod pariter inter horrenda & atro carbone prae aliis notanda crimina refertur, ita ut atrocitate sua omnia reliqua delicta longo post se relinquat intervallo, iudicante MENOCHIO a) quare etiam illud a Divino Numine tanto persecutum fuit odio, ut  
 inte-

integra regna internecioni data, & ob illud in alium transla-  
 ta fuerint, b) nec minus Ius Romanum illos, qui blasphemos  
 sermones auribus exceperunt, & intra octo dierum spatium  
 iudici non indicarunt, ob solum silentium, poena coercendos  
 fanciuit c) in quo articulo etiam leges Imperii publicae in  
 Germania latae conveniunt d) quod & praxis forensis in ip-  
 sis rerum argumentis comprobatur, teste enim CARPZOVIO e)  
 Scabini Wirtembergenses hanc tulerunt sententiam: Dieveßert  
 er die angehörte Gotteslästerung theils gar nicht, theils  
 nicht innerhalb 8 Tagen angezeigt, ist mit der Special-In-  
 quisition wieder ihn gebührend zu verfahren. Quamvis enim  
 eiusmodi blasphemi nefando hoc crimine perfectionibus divi-  
 nis maculam adspargere non possint, impudentissimus tamen,  
 quem hoc ipso produnt animus, & pessimum, quod aliis prae-  
 bent exemplum, merito iustam huic auctori postulant poe-  
 nam.

a) de arbitrariis iudicium, quaest. cas. 375. num. 23.

b) Nou. 77. cap. I. §. 1.

c) Nou. 77. cap. I. §. 2.

d) ord. polit. Imp. de anno 1548. Tit. I. §. 2.

e) in praxi crim. quaest. 45. num. 11.

### §. XXI.

Eodem modo res se habet intuitu criminis falsae mone-  
 tae, quod & speciem criminis laesae maiestatis constituit, &  
 de quo Illustris quondam ENGAVISA) tam solide tractavit,  
 ut nobis otium in indaganda illius indole fecerit, quare Ica  
 solummodo hic inuestiganda veniunt, quae ad silentium in  
 hoc crimine pertinent, certe quod Ius Romanum attinet, hoc  
 crimen ita inuisum est legislatoribus, ut etiam confessi & illud  
 non indicantes, non secus sint plectendi, quam ipsi delinquen-  
 tes,



tes, quod odium eo usque fuit extensum, ut accusatores severissimam S<sup>C</sup>ti Turpiliani coercionem metuere non debuerint, & succumbentes nequaquam poenam in calumniatores statutam subire coacti fuerint b). Hoc crimen vero disponente constitutione criminali carolina c) triplici modo perpetratur, alii enim signum alterius principis dolo malo monetae a se cusae imprimunt, alii metallum vilioris pretii auro & argento addunt, nonnulli vero pondera monetae adulterant, & grauissima vivicomburii poena illis irroganda statuitur, qui falsam monetam cudendo, permutando, pretio redimendo, & scienter exponendo maiestatis iura usurpant, addita confiscatione aedium, in quibus sciente domino delictum est perpetratum, praxis tamen hanc poenam solummodo ad eum restrinxit casum, quando ipse falsarius monetam a se cusam expendit, reliquis delicti huius speciebus, arbitrariae poenae relictis, docente CARPZOVIO d) & BRVNNEMANNO. e) Quare etiam ex identitate rationis silentii poena ad eundem casum erit restringenda.

a) in Diss. de falso numario 1750. habita.

b) ang. L. I. C. de falsa moneta.

c) Art. III. in verbis: in dreierley Weise ic.

d) In praxi crim. quaest. 42. num. 28.

e) ad l. 2. C. de fals. monet.

### §. XXII.

A legibus Romanis, nunc ad leges Germaniae nos conuertimus, indagaturi, quomodo silentium fuerit punitum, & quid leges patriae hac de re statuunt, quae inuestigatio eo minus erit reprobanda, quo magis constat, has leges hodie maiori studio excoli, quam olim, ita ut illarum neglectus piaculo habeatur, potissimum vero exemplum puniti silentii leges Germaniae

militares praebent, in hisce enim plerumque subditi admo-  
nentur, vt quouis modo fugae militum vulgarium nostris  
praecipue temporibus valde frequentatae, obicem ponant, id-  
que eo prudentius factum, quo certius est, eiusmodi periur-  
ros quodammodo crimen laesae maiestatis committere testi-  
bus FARINACIO a) & BRVNNEMANNO b) vt vero sine hoc po-  
tiri possint principes, silentium quoque in subditis grauissima  
afficitur poena, pertinet huc constitutio terrarum Brunsvico  
Lüneburgicarum c) huius tenoris: Daferne aber einer oder  
der andere von unsern Untertanen sich gelüsten liese, einen  
oder mehrere außgetretene Soldaten wissentlich zu hausen oder  
zu beherbergen, oder wol gar zur Desertion Hilfe oder Vor-  
schub zu leisten, oder wenn auch nur jemand darum wissen,  
und es nicht so fort gehdrig anzeigen, auch so viel an ihm ist,  
hindere, und zu dem Ende nach der Soldaten: Pas fragen  
würde, der oder diejenige sollen mit Karrenschieben, die Wei-  
besleute aber mit dem Zuchthaus bestrafft, und überdem noch  
zur Ersehung des dadurch verursachten Schadens angehalten  
werden.

a) in prax. crim. quaest. II. 5. inspe&. I. n. 17.

b) ad l. 2. c. quando liceat unicuique.

c) quae prodit d. VI. Oct. 1735. sub rubro: Verordnung von  
Deserteurs.

§. XXIII.

In Germania quoque diuersae dantur prouinciae, in qui-  
bus omnis subditus tenetur, non solum ad delicta iudici de-  
nuncianda, & licet probatione fungi non possit, a calumnia  
tamen excusandus sit, officii necessitate denunciationem praeci-  
piente, modo verisimiles delicti coniecturas in medium pro-  
ferre possit, quale quid refert de terris Würtembergicis LAV-  
TERBACHIVS a) cum qua sanctione conspirat ius Gothanum b)  
& Palatinum c) speciatim vero quoad Duella hinc inde sanc-  
tum



tum est, vt arbitraria poena maneat illos, qui eiusmodi Duella, quorum cognitionem & scientiam adepti sunt, silent, quod probant terrae Electorales Moguntinae d) & Electorales Saxonicae e) chirurgi quoque Erfurtenses peculiari iuramento adstringuntur, vt mediante renunciatione vulnerum ad quorum curam adhibentur Iudicio Prouinciali vulneratos indicent, vt probat formula N. 35. relata in ordinationibus ciuitatem Erfurtensem spectantibus, quod nullum alium in finem constitutum, quam, vt clandestinis duellis obex ponatur, subditi quoque tenentur non minus ac vasalli, si quae animaduertant principi vel domino directo in praeiudicium machinari, vt illa in competente foro denuntient, bona sua in catastrum referenda manifestent, & facultates, suas censitoribus indicent, conf. de LYNCKER f) nec minus merces telonio subiectas publicanis indicent vide sis perillustrem de HOPFGARTEN g) adeo vt omnibus hisce casibus omiſſa denunciatione & professione, silentium in delictorum numerum referendum, & statuta vel arbitraria poena coercendum sit. Insuper etiam ordinatio cameralis h) iubet, quem libet subditum indicare debere, subditos & homines proprios fugam capessentes, statuta in illos, qui silent eiusmodi hominum audaciam, fractae pacis publicae poena, fuisse id docentibus GAILLO i) & MEVIO k).

a) in diff. iur. comm. & Würtemb. in caus. crim. §. 5. n. 6. seq.

b) ord. prouinc. de anno 1667. parte 3 pag. 260.

c) Ehur- & Sächsische Landesordnung tit. 12. §. damit auch.

d) Ehurfürstl. Mayntz. Duell Mandat. Art. 10.

e) Ehur- & Sächs. Mandat wieder die Selbstfracht §. 41.

f) in Diff. de catastris.

g) in Diff. de iure vectigalium in Sacro Rom. Imp.

h) parte 2. tit. 14. von aufgetretenen Unterthanen.

i) de arrestis imp. cap. 3. num. 15.

k) von Abforderung der Bauerleute sect. 4. n. 131. seq.





S. XXIII.

Plura quidem ad argumentum hoc ulterius protequen-  
 dum facili negotio adferre potuissimas, eaque, quae allata  
 sunt fufiore calamo profequi, cum vero Dissertationis limites  
 tranfilire, nec deceat nec liceat, fufficere putamus, fi illa, quae  
 peculiarem traflationem ob argumenti vbertatem postulare  
 videntur, & quae in specie ad Iuris Germanici fan-  
 cita pertinent, binis solummodo verbis indicauerimus, nihil  
 magis in votis habentes, nisi, vt ea, quae pro ingenii tenuitate  
 prolata sunt, aequi bonique consulantur, quodsi hu-  
 ius voti compotes erimus, felix erit huius tra-  
 ctationis

FINIS.

P R A E F A T I O



D 3

VIRO





VIRO JUVENI  
NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
FRIDERICO LVDOVICO  
DOERING

S. P. D.

P R A E S E S.



Quanto fundator collegii Amploniani, quod adhuc hodie Academiam nostram ornat, studiorum promovendorum, & salutis publicae restaurandae, flagrarit desiderio, statuta ab Ipso condita, & leges membrorum collegii praescriptae, satis loquuntur, & apertissimum perhibent testimonium viro maxima doctrinae & meritorum praerogativa conspicuo, nihil fuisse prius, nihilque antiquius, nisi, ut illi qui nomina inter collegii membra professi sunt, genuina eruditionis luce

cor-



corruscarent, aliisque palmam dubiam redderent. Hunc in finem prudenter sancivit, ut non solum collegia & lectiones indefesso studio frequentarent, sed etiam disputando ingenii periculum facerent, & publico, quid valeant humeris, quid ferre recusent, demonstrarent. Morem gestisti huic laudabili instituto vir Iuvenis Nobilissime, & omnium, qui Tuam studiorum rationem, & quanta industria doctrinas in scholis publicis & privatis traditas, exceperis, perspectum habent, suffragia tulisti adeo, ut aliis calcar dederis ipsisque exemplo praeiveris, ad studia pari assiduitate prosequenda. Nihil igitur reliquum est, nisi, ut profectus huc usque acquisitos, publico specimine probes, quod propositum uti omnes boni non possunt non laudare, ita & ego, quem huc usque ut auditorem dilexi, nunc cathedram nostram ornantem, singulariter suspicio. Gratulor hoc Studiorum Tuorum incrementum plurimum Reverendo Parenti, quem, ob singularem quo gregem sibi concreditum pascitur, fidem, semper magni feci, gratulor profectuum Tuorum specimen Tibi ipsi, in votis habens, ut tramitem huc usque cum laude electum, ulterius sequendo merita consequaris praemia, mihi & omnibus, qui Tibi bene cupiunt, exoptatissima. Dabam in Academia Erfurtenſi d. Quinto Idus Martii M DCC LXI.

MON.



MONSIEUR,

Je n'eus pas plutôt la hardiesse de Vous demander l'avantage de votre conversation, que je ressentis le plaisir de posséder un Ami, la candeur duquel répond entièrement aux attentes, que j'avois aussi bien de votre Esprit, que de votre cœur. Charmé d'une possession, dont je suis si glorieux, je ne saurois passer l'occasion, que vous me donnés, sans vous convaincre de la part, que je prends à tout ce qui vous interesse. C'est que je vais vous féliciter de la résolution, que vous avés prise de soutenir les théses d'une dispute, qui vous fait tant d'honneur. Votre érudition me persuade d'avance, que vous allés vous en acquitter avec autant d'adresse, que le Public a de discernement à vous applaudir & à reconnoitre votre mérite. Moi qui vous souhaite si ardemment toute sorte de prospérités, je prie particulièrement la Providence Divine, qu'elle veuille bien vous accorder sa sainte bénédiction, & vous faire réunir dans toutes vos entreprises, qui ne peuvent avoir quelque autre but, que le bien public, ou la satisfaction de la société civile. Quelques désintéressés que ces sentimens vous paroissent, ils ne laissent pas pourtant d'avoir quelque regard à mon propre avantage, c'est par là que j'aurois encore long-tems le plaisir de jour de votre conversation & de vous renouveler souvent les assurances de mon atachement, & du zèle avec lequel je suis

MONSIEUR,

Votre

Erford ce 9me Mars

1761.

très - humble & très - obéissant

Serviteur

A. KOCH.

Étudiant en Droits,



ERFUERT, Diss., 1767/67

SS.


ULB Halle  
004 995 333

3




VD 18







DISSERTATIO IVRIDICA  
 DE  
**CRIMINE SILENTII,**



QVAM  
 IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA  
 ERFORDIENSI,  
 INDVLGENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE,  
 PRAESIDE  
 FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO  
**D. RVDOLPHO CHRISTOPHORO  
 HENNE, JCTO,**

ORDINIS ICTORVM ET IVDICII ELECTORALIS MOGVNTINI PROVIN-  
 CIALIS ADSESSORE, AC PANDECTARVM PROFESSORE  
 PVBLICO ORDINARIO,  
 AD DIEM XI. MARTII M DCC LXI.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAIORIS ANSELMINI  
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
**FRIDERICVS LVDOVICVS DOERING,**  
 ERFORDIENSIS,  
 IVRIVM ET PHILOSOPHIAE CVLTOR AC COLLEGII AMPLONIANI  
 COLLEGIATVS.



ERFORDIAE,  
 AERE HERINGIANAE VIDVAE, ACADEMIAE A TYPIS.